



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Punctum Difficultatis 2. An verum miraculum fieri possit confirmationem  
falsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

gubernatur: hoc ipsum offendit Deum stare ab hac Ecclesia, quæ ita malè gubernata, stat contra tot hæreses.

VI. Adhunc usque diem ex Ethnicis merè, redduntur operâ Ecclesiæ, fideles, cum quibus est necesse, & miraculis, & vitæ sanctitate, & Martyriis agere; & si id fiat sine miraculis; hoc ipsum inquit Augustinus magnum foret miraculum, si restam difficiles factu & captu, sine illis persuadeantur. Jam autem Hæretici nullam Provinciâ ostendere possunt, à se, quando cunq̃ue tandem conversam. Ex quo arguimus, non cooperari Dominum illorum verbis, tanquam verbo Dei, sequentibus signis. Conversos tamen à nobis infascinant postea suis principis, ut fecerunt in Java: quia magis Ethnicismo similibus, & ad vitam moresque laxiores ducentibus.

VII. Accipiamus totam collectionem eorum, qui v. g. in Lutheranismò censentur supra alios virtutibus profecisse: accipiamus eos qui ex Catholica Ecclesia censentur esse sanctis; comparentur utriusque partis Virtutes, Castitas, Mortificatio, Jejunia, Amor inimicorum, Fuga honoris ex hac ipsâ vita, subjectio ad Majores; vincet Ecclesia. Et cui usui hæc Deus tanto numero, tanta successione inspiraret, cum probatione omni possibili, solidæ virtutis, si tota collectio illorum hominum, est tam constanter devians.

VIII. Perpendantur in singulos ferme controuersos articulos facta miracula, quid simile illi habent? quid de ipsis energumenis sanandis; qui si veri non sunt, & tamen probent illos nostri veros esse, sanent illos; si veri, ostendant suam in dæmonia potestatem, quæ characteristica est Apostolatûs quibus dæmonia subijciuntur.

IX. Quam multus illorum populus, qui versatur inter nostros Catholicos, petit à Deo, ut illum illuminet, an sit sua bona fides; & si id non petit, est saltem expeditus, quòd si pro opposito illuminaretur, transfret ad nos: cum tamen Catholicos hoc est possessores bonæ fidei, nusquam de hoc cogitemus; de quo quòd non cogitent Hæretici, extimè id dicere possunt, non intimè, si sint formales hæretici. Ii autem qui ex nostris ad illos pervertuntur, nusquam id faciunt ex illuminatione aliqua speciali interna, sed respectu, passione, carnalitate abducti: iudicent illi ipsi hoc in conspectu Dei reflectantque se, ad suam mentem.

## Punctum Difficultatis 2.

*An verum miraculum fieri possit in confirmationem falsi.*

Circa hæc motiva credibilitatis restat Scholasticis discutiendum: An verum miraculum præstari possit ad confirmandum aliquod

falsum: de quo tractant ordinariè Auctores, & post illos Lugo disp. 2. ad Sect. 1. à num. 14. Rip. hic disp. 4. Sect. 5. qui docet; in ordine præsentis providenti supernaturalis, id non posse fieri: quia defacto sunt decreta non nisi ad confirmationem doctrinæ veræ, utque reddatur nostra fides credibilis. Sed pro alio rerum ordine, id posse fieri.

DICENDUM est. *Ex accidenti fieri posse, ut verum miraculum, fiat in confirmationem falsi, per se tamen fieri non potest.*

PROBATUR Prima pars conclusionis. Quia id non repugnat, & videntur hoc suadere argumenta, ponenda in objectionibus. *Secunda pars Conclusionis*

PROBATUR Primò. Quia quamvis ponamus Deum ex accidenti facere posse miraculum in confirmationem falsi, non sequitur, posse eum facere per se idem: quia malum potest etiam Deus per accidens facere, non potest per se.

PROBATUR Secundò. Quia si per Deum concurreret per verum miraculum ad confirmationem falsi, per se esset auctor illius falsi, specialiter illud promovendo, firmando, per se autem non potest esse auctor falsi: quia alias mentiretur, assumendo signa testificantia mentem suam, qualia sunt miracula, ad significandum id, quòd non habet in mente. Hæc ratio est secundum mentem Lug. qui dicit miracula esse voces Dei: licet id indigeat examine, potestque illis tribui ratio, applicantium tantum dictionem Dei.

PROBATUR Tertio. Quia Deus non potest esse causa intendendo ut sequatur aliquid dissonum naturæ intellectuali, quâ tali, ut dictum supra: quòd tamen in præsentis contingeret; quia sequeretur assensus falsus, idque intendente id Deo, quia agente, id per se, in confirmationem falsi.

NOTO Primò. Quòd tunc fieret per se miraculum in confirmationem falsi, quando non posset in alium finem proximè referri: fieret autem per accidens in confirmationem falsi, quando in alium finem proximè referri posset, cui postea subnectitur confirmatio falsi.

NOTO Secundò. Valdè difficile esse, ex ipsis exterioribus, & eventu, taxare veritatem miraculi. Ratio, quia multa possunt à Dæmone patrari miracula, quæ extrinsecis non possunt distingui, qualiaque patrabuntur tempore Antichristi. Addit Lugo fortassis etiam mortuos secundum apparentiam suscitabit; facile enim Dæmon potest hominis mortui cadaver accipere, illudque movere, vel sibi fabricare; cum defacto etiam id boni Angeli præstiterint; ut Angelus Tobix loquens, ambulans, comedens.

NOTO Tertio. Quamvis de miraculis non possit haberi evidentia Metaphysica, potest tamen haberi physica, talis scilicet qualis habetur

(n)

à Petro

à Petro, quod ambulet Paulus, quem aliàs novit; cui visioni posset subesse falsum, casu, quo phantasma esset. Et sicut ex hac suspitione negari non potest, evidens esse Paulum ambulare, nisi ex circumstantiis dubitari possit, an ille ambulet; sic nec de evidentia miraculorum, quòd sint vera, dubitari potest, nisi aliunde sint circumstantiæ, quæ fundent de illis dubium. Et certè, si simpliciter neganda esset evidentia, quòrum illa tanquam motiva credibilitatis evidentia requireret Ecclesia ad decernendum de Canonizatione Sanctorum: quòrum illis fidem iussisset confirmari Christus? quòrum ponerentur inter præcipua motiva credibilitatis?

OBJICITUR Primò. Deus ut Auctor naturæ, potest offerre concursum creaturæ, & dare illi potestatem agendi, præviso abusu, nec propter hoc Deus, dicitur esse causa peccati, cum accidat, præter intentionem Dei. Ergo etiam ut Auctor supernaturalis, potest conferre virtutem agendi miracula, prævidens abulum illius virtutis, & securam confirmationem v. g. falsi; hoc enim fieret extra intentionem Dei.

RESPONDETUR. Concedo totum: quia eo casu non ex intentione confirmationis falsi operaretur DEUS, adeoque id fieret ex accidenti.

INSTABIS. Cui Rex daret sigillum, & ille deciperet subditos, illa deceptio non tribueretur regi, etiam id prævidenti, nisi fortè permissivè. Ergo etiam Deus non esset causa illius falsi, nisi permissivè.

RESPONDETUR. Si per se fieret miraculum in confirmationem erroris, non esset Deus tantum causa permissiva; esset tamen causa nonnisi permissiva; esset tamen causa nonnisi permissiva, si per accidens fieret in confirmationem erroris miraculum. Quod attinet ad Antecedens; pluribus illud examinat Lugo à numero 24. Disparitas posset dari; quod sigillatio privilegii habeat nonnisi unum finem, isque solus sigillatione obtinetur: miraculi autem patrandi potestas collata à DEO, potest habere plures fines; potestque Deus unum intendere, non alium, adeoque, permittente, ut ex accidenti, in confirmationem falsi fiat miraculum, non autem per se.

OBJICITUR Secundò. Suar. & Hurt. Potest Deus dare alicui gratiam miraculosè conferendæ sanitatis, quo dono, posset ille abuti, in confirmationem sui erroris. Rursus si Christus instituisset, ut Conversio Eucharistica sensibiliter fieret, tunc non esset ratio, cur in confirmationem falsi, non posset uti Sacerdòs illa conversiva potestate. Idem dicendum: Si unus petat fieri miraculum, intendendo confirmationem falsi, & alii, petant idem miraculum, bona intentione, numquid né eo casu impediretur Deus à ponendo vero miraculo?

RESPONDETUR. Omnibus allatis casibus per accidens confirmatio esset falsi per illud miraculum: quia ob alium finem primò & per se poneretur à Deo: sicut etiam potest dare liberum arbitrium, ex quo per accidens sequitur, actio peccaminosa; non tamè in nostris principii potest infundere habitum vitiosum, eo quòd ille per se ordinetur ad aliquid difforme naturæ intellectuali. Ita etiam potest fieri, ut deur potestas parandi miracula, ex qua, per accidens sequatur confirmatio falsi; licet non possit illam dare, intendendo confirmationem falsi.

OBJICITUR Tertio. Suar. Suscitatio Lazari fuit verum miraculum, à Christo, in confirmationem suæ Divinitatis, factum, quamvis Judæi non possent dubitare de veritate miraculi, utpote toties comedentes cum Lazaro, dubitabant tamen, licet culpabiliter, de Divinitate Christi, eo quòd illud miraculum ob preces fororum Lazari, potuissent cogitare, à Deo factum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum non est contra nos, sed probare non nisi secundam Conclusionis partem.

INSTABIS cum Ripalda. Potest Deus concurrere tanquam causa per se in miracula apparentia, quæ secundum se sunt opera naturalia, ut contingit in miraculis Christi, & miraculis Pharaonis, quæ tamen possent credibilem reddere doctrinam falsam.

RESPONDETUR. Per se ad illa opera Deus concurrat, hoc est, non per accidens illa actio pender à Deo, sed non per se, hoc est intentione, ut sequatur deceptio, & non habendo finem alium, in quem proximè referatur illa patratio, & quidem concurrente ad illam, secundum exigentiam pacti, quod intercessit inter maleficos Dæmonem.

OBJICITUR Quartò Idem. Si Deus non potest conficere miraculum in confirmationem doctrinæ falsæ, per se, nec potest per accidens; quia dubitare possemus an non alia miracula talia fuerint, ut in illis Deus intenderit alium finem, & non confirmationem veræ fidei.

RESPONDETUR citatus Oviedo. Quòd nostra fides non possit per hoc enervari, quia actus fidei non potest ferri in revelationem falso existimatam; *quæ responsio*

NON SATISFACIT. Quia non quarimus de certitudine fidei, petibili à parte principii, sed quarimus quomodo imperari possit actus certissimus, prælucente motivo, quòd est miracula, si fortè sunt facta, non ad confirmandam doctrinam Christianam. Dicit Ovied. aliunde etiam reddi credibilia nostra Mystera. Ergo jam non stat Ovied. in defensione miraculorum. Dicit deinde; quòd error ratione miraculorum; non esset in tota Ecclesia. Sed objectio procedit de miraculis, quibus tota Ecclesia nititur.

COMMEDIUS est quòd adfert in fine idem Ovied.

R. P.  
THE MŁOD  
ZIA NOWSKI  
Tbm. de. Z.  
D. VI

Modo, jamque in ante positum est. Nempe ex eo, quod aliquid de potentia absoluta fieri potest, non est sufficiens fundamentum ingerendi prudens dubium, an ita de facto fuerit: de potentia enim absoluta possent omnia accidentia, quæ sensu percipimus, esse sine subjecto; non possumus tamen dubitare, an modò ita contingat universaliter. Cæterum in aliquo particulari homine, posset ob dictam rationem in te perscere credibilitas ex miraculis desumpta; sed viro prudenti dat hoc occasionem diligentius non nisi, inquirendi miraculi.

ADDO. Posita hac propositione *Primâ*. Per accidens, potest Deus vero miraculo confirmare doctrinam falsam *Secundâ*. Deus per se, confirmat miraculo doctrinam veram, est lis an ad primum, an ad secundum genus spectent nostræ fidei miracula? decernitque fidelis quòd spectent ad secundum: quia quando fiebant, non erat ullus alius finis, qui prudenter adverti posset. Ergo esset temeritas, hæc miracula, & hanc doctrinam taxare. Rursus non rarò ipsimet docentes, (quod fecit Christus & Apostoli dicunt se patrare hoc miraculum in confirmationem non nisi doctrinæ: quæ ex altera parte, quia nihil absurditatis imò sanctitatem continet, concludimus cerè evidenter moraliter, facta illa miracula, in confirmationem ejusdem doctrinæ.

### Punctum Difficultatis 3.

#### *De motivis credibilitatis in rudibus.*

**A**liqua de istis motivis Credibilitatis in rudibus dicta sunt supra quæst. 1. difficultate 1. punct. 3. sed veniunt in super aliqua expendenda Recentiores motivum credibilitatis, quo moventur rudes & pueri, appellant Discerniculum.

#### *Primus modus explicandi.*

EXPLICAT Primò Perez. *Supponitque Primò*, esse penitus impossibile naturaliter, quòd in rebus obscuris, intellectus nõ dubitet. *Supponit Secundo* esse verum miraculum, quòd credens res obscuras, credat sine dubitatione. *Supponit Tertio*. Proposito articulo vero simul cum falso, rudem illum hominem experiri illico in se, quòd circa unum, nempe circa verum, possit non dubitare: circa falsum è contra, experitur, se non posse non dubitare. *Supponit Quarto*. Rusticum reperire & videre in conscientia tua obligationem credendi sine dubitatione articulum verum, & simul se non obligari, ad articulum falsum, absque dubitatione: quia nullus obligatur ad impossibile. Hæc relata vide apud Hæmoldum. lib. 3. n. 193. *Hæc explicatio.*

NON SATISFACIT Primò. Tum quia debuisset cum aliqua limitatione dicere Perez quòd sit impossibile naturaliter, quòd in rebus obscuris intellectus non dubitet; nam non est major necessitas circa obscura dubitandi, quàm sit necessitas, penetratis præmissis assensuque exhibito, prodire in assensum & exercitum conclusionis; & tamen est possibile ne prodeat, casu quo aliò sit distracta mens, & avocetur. Tum quia. Cum hic agatur de Rudibus potest illorum ita esse debilis capacitas, ut ad istas obscuritates non attendant, & in istis qui cultiores sunt, potest intervenire tædium & nolitio talia examinandi, adeoque circa obscurum non dubitant. Tum quia. Si impossibile est naturaliter in rebus obscuris non dubitare intellectum, cum hoc Discerniculo posito in rudibus, adhuc rigorosè maneat actus fidei dubitabunt circa illum rudes, saltè antecederet; quomodo ergo verum erit suppositum tertium, quòd Rudes experiantur illico, se circa verum articulum posse non dubitare; & si miraculo auferetur dubitatio antecedens, miraculo auferetur obscuritas fidei; adeoque jam non erit actus fidei: cum de essentia actus fidei sit obscuritas, aut de articulo dubitabunt, cum impossibile sit naturaliter circa obscurum non dubitare saltè antecederet; si autem facit illud discerniculum non dubitare, in ipso exercitio Actus fidei, hoc habebunt omnes fideles, in sententia negante Actus fidei infirmos.

NON SATISFACIT Secundo. Tum quia, si est verum miraculum, quòd credens res obscuras, credat sine dubitatione, nulli dabuntur Hæretici materiales, nam illi, hoc ipso quia materiales sunt, credunt, suos errores tanquam revelatos, adeoque credunt res obscuras, & credunt sine dubitatione, quia credunt nisi & ratione assentiendi fidei debita: adeoque ut illis videtur certissimo, consequenter sine dubitatione; & si dubitarent circa articulum cæteroque falsum, convincerentur tamen illum esse revelatum; hoc ipso non materiales sed formales Hæretici essent. Nam quantumvis putatitè revelatum, non possit esse objectum fidei, tamen nolle assentiri assensu certissimo & assensu fidei, objecto quod putatur esse verè revelatum, est jam quid inclusum intra latitudinem objecti infidelitatis. Et si dicas etiam in hæreticis materialibus contingere, ut credant sine dubitatione res obscuras, alterutrum interveniet: aut quia potest quis credere sine dubitatione absque miraculo, cuius oppositum voluit Perez, aut verum miraculum posset fieri in confirmationem falsi, quod videtur absõnum. Tum quia potest aliquis ita esse reverens sui Domini, ut rei cæteroque obscure sibi commissa, assentiatur sine dubitatione: neque tamen tunc interveniet verum miraculum; obedientiaque illa intellectus, quàm requirit S. P. Ignatius, est obedientia sine dubitatione